

ori ripa stetit, & totius exercitus transitum expectasse, non apparet, quomodo per fluvium transierint, quia tunc demum aquæ substerunt, cum pedes sacerdotum quiescerent in ripa. Non placet itaq; Kimchius ad vers. 8. *עד קצה מי הירד' עד קצה העבר השני שיצאו* Usque ad extremitatem aquarum Jordanis ) h. e. usque ad extremitatem transitus secundi, ex quo exiere, & ibi steterunt portantes arcam, donec transit universus populus. Deserimusque Clarissimum Masium, qui ad vers. 8. annotavit, *Sacerdotes in ripa ulteriori quievissent, sic puto esse accipiendum, inquit, de extremitate Jordanis quod ait, ac si dicat, ubi ad ripam usque adversam pertigeritis, emensi totam fluminis latitudinem, tum in alveo insistite, neque evadite in continentem, usque eo dum jussero. Nam ea arca mora cohibendus erat aquarum cursus & suspendendus tantisper dum omnes trajicerent.* Sedposito arcæ præsentiam fluvii aquas cohibuisse, hoc tamen, uti videtur, tam bene in ceteriori, quam ulteriori ripa fieri potuit. Nec valet, quod alii vers. ultimum objiciant, in quo Sacerdotes *בתוך* in medio Jordanis stetit dicuntur. Multi enim observarunt, quod *תוך* non accurate centrum & intimum alicujus rei significet, sed tantum eum locum, qui in aliqua re continetur, sive in centro, sive in exteriori parte quadam inveniatur. Sic Jos. xxi, 19. possessionem accipite *בתוכנו* in medio nostri h. e. inter nos. Inde etiam Lxx. *בתוך* toties *ἐν* valet Gen. xxiii, 6. 9. Exod. xii, 49. xxv, 8. &c. Steterunt itaque Sacerdotes *בתוך הירד* in Jordane licet non in medio, sed tantum in ceteriori ripa steterint. Si quæras cur Sacerdotes in ripa subsistere jussi sint, respondemus ex vers. ult. Cap. III. Sacerdotes portantes arcam foederis stetit in sicco *בתוך הירד הכן* in Jordane ad preparandum scilicet transitum Israelitis, sequitur enim: *Et omnes Israelitæ transierunt in sicco.* Sequimur in hoc Masium ad b. l., qui hanc vocem eleganter exposuit: *Illud PARANDO est, ac si dicat, parando multitudini commodam trajectionem. Sua enim illi mora, ut diximus, refranabant superiores aquas. Sumus autem infinitum verbum הכן sic interpretati eo lubentius, quod proximo capite plane eam habeat notionem.* R. Isaias vir sane doctus interpretatur figendo, pedes suos videlicet; nec absurde. Non possumus non integra R. Jeschajæ verba afferre, nisi enim toti fallimur, eundem Isaiam allegat, cujus MStum Commentarium in totum fere codicem Ebræum nostra Bibliotheca Senatoria sub numero